Informis pulchros deponit belua dentes.
Ergo ubi transmissis mundi caput incipit indis [illegible interlinear gloss: para…]
Quo perhibent terram confinia iungere celo
Lucis inaccessa cunctis mortalibus arce
Permanet eterno conclusus limite postquam
Decidit expulsus primeui criminis auctor
Atque reis digne felici a sede repulsis.
Celestes homini capit nunc terra ministros
Non hic a[illegible] succedit temporis umquam
Bruma nec estiui redeunt post frigora soles
Excelsus calidum cum reddit circulus annum
Vel densante gelu canescunt arua pruinis
Hic uer assiduum celi clementia seruat.
Turbidus auster abest. semperque sub aere sicco
Nubila diffugiunt iugi cessura sereno
Nec poscit natura loci quos non habet imbres
Sed contenta suo dotantur germina rore
Perpetuo uiret omne solum terreque tepentis
Blanda nitet facies stant collibus semper herbe